
CLUVERI
HARMONIA
EVANGELIST.


P. F. SUHM.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

1,- 198

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01216 X

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

JOHANNIS CLUVERI STORMARI

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemq; olim in Equeſtri Soranâ Danorum Academiâ Profeſſoris, ac Auſtralis Dithmarſiæ Superintendentis p. m.

HARMONIA EVANGELISTARUM

paulò accuratius, quàm vulgò ſolet,

SECUNDUM PASCHATA ET ITINERA Domini digeſta, & breviſſimè delineata.



In Illuſtri Regio montanâ Boruſſorum Academiâ.

apud PETRUM HENDELIUM Bibliop.

Typis Johannis Reuſneri.

ANNO cIↃ IↃc XLII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

Illuſtri Magnifico & Generoſo
Domino
Dn. DETHLEVO REVENTLOVIO Hæreditario in Reetz & Ziesendorff &c.
Sereniſſimi ac Potentiſſimi Regis
CHRISTIANI IV. per Ducatus Slesvvigæ, Holſatiæ, Stormariæ, & Dithmarſiæ Conſiliario intimo, ac Cancellario
Aulico,
Domino ac Patrono meo magno
HARMONIOLAM HANC EVANGELICAM
perſuaſiſſimum mihi habens
Illuſtrem ſuam Magnificentiam
non munus hoc chartaceum ponderaturam, ſed majoris animum devotiſſimum æſtimaturam
ſubjectionis ac gratitudinis debitæ
pro ſuo non tantùm in Parentem meum, dum vivebat, propenſiſſimo favore, ſed & in me, reliquamq; ejus ſuperſtitem progeniem ſingulari benignitate,
exiguum prorſus indicium extare
humilimè volui
MICHAEL CLUVERUS Dithmarſus,
S.S. Theol. Studioſus.

B.R.H.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

Harmonia Evangeliſtarum breviſſimè delineata.

AUTORE JOHANNE CLUVERO, SS. Theol. D.

PRoœmium hiſtoriæ Evangelicæ eſt apud Lucam cap. 1, 1. 2. 3. 4. quam ordinis cauſa in certa capita digeremus, ut ſeries verborum factorumq; Domini appareat.

I.

Verbum quod erat in principio, & DEus erat, fit caro, & venit in mundum, Johannis 1, 1. 14. ſed ita, ut Johanne præcurſore prius concepto, Luc. 1, 5. ſexto poſt menſe & ipſe concipiatur, in utero matris virginis, Luc. 1, 26. quam à cognata Eliſabeta reverſam, Luc. 1, 39. 56. penè deſeruiſſet Ioſeph Sponſus, ſed admonitus ab Angelo de conceptionis myſterio, eam recipit & domum ducit, Matth. 1.

II.

Nato Iohanne cum gaudio multorum, & prophetiâ Patris, Lucæ 1, 57. &c. naſcitur & ipſe Dominus Salvator, & venit in hunc mundum Bethlehemi, Luc. 2, 1. &c.

III.

Nativitas ejus revelatur ſtatim paſtoribus per Angelos, per Paſtores, aliis hominibus, deinde in circumciſione & oblatione publicâ, duorum Prophetarum Symeonis & Annæ teſtimonio, innoteſcit toti populo. Lucæ 2, 8. 40.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

IV.

Revertitur Bethlehemum, ibidemq; à Magis adoratur, Matth, 2.

V.

Inde ob inſidias Herodis tyranni, cogitur recedere in Ægyptum, & infantioli interim trucidantur. Matth. 2, 13.

VI.

Mortuo Herode revocantur parentes in terram Iſraelis, cum quibus venit Nazarethan. Matth. 2, 19.

VII.

Anno ætatis duodecimo in Paſchate venit Ieroſolymam, ibiq; edit ſpecimen divinitatis ſuæ & officii, Lucæ 2. 41. &c. Inde redit Nazarethan, eſtq; parentibus ſubditus, proficiens gratiâ apud Deum & homines. Lucæ 2, 52.

Hactenus converſatio Domini in terris, quæ privata & occulta. Converſatio publica, & manifeſtatio verbi atq; operum divinorum, juxta Iohannis & reliquorum indicia, ſcitè digeritur ſecundum quatuor Paſchata.

PRIMI ANNI ACTA SINGULARITER annotata hæc ſunt.

I.

JOhannes Baptiſta, tanquam præco adventus CHriſti divinus, præcedit eum in deſerto prædicatione & baptiſmo, fitq; ingens populi concurſus & exſpectatio. Matth. 3. Marci 1. Lucæ 3.

II.

Ipſe Dominus, anno ætatis trigeſimo circiter, venit ad Iordanem, & baptizatur, ac palam declaratur Filius Dei à Patre cæleſti, & augetur viſibili Spiritus Sancti deſcenſu, atq; abinde Iohannis prædicatione omni populo oſtenditur. Matth. 3, 13. Marci 1, 9. Lucæ 3, 21. Ioh. 1, 15. &c.

Inde

III.

Inde in deſertum ductus à Spiritu Sancto, tentatur ibidem per quadraginta dies, & poſtmodum ſingulariter congreſſus cum Satana, ter eum ſuperat. Matth. 4, 1. &c. Marci 1, 13. Lu-*cæ* 4, 1.

IV.

Revertitur IEſus in virtute ſpiritus in Galilæam, & fama de ipſo exit in univerſam regionem. Lucæ 4, 14.

V.

Ex Galilæâ proficiſcitur in ea loca, ubi Iohannes baptizabat, venitq; ad eum poſtridie ejus diei, quo Iohannes teſtimonium de ipſo legatis Iudæorum perhibuerat. Ioh. 1, 19. 29. &c. & Iohannes varia & luculenta de ipſo teſtimonia profert. Ioh. 1, 32. 35.

VI.

Tertia die volens exire in Galilæam, cum Petrum, Andream, & alium quendam diſcipulum inſtituiſſet, vocat Philippum, Ioh. 1, 37. 44. *& Nathanaëli ſe revelat. v.* 46.

VII.

Triduo poſt comparet in nuptiis Canenſibus in Galilæâ. Iohan. 2, 1. *editq; primum miraculum. Ioh.*2, 11.

VIII.

Inde deſcendit Capernaum cum matre, fratribus & diſcipulis, Johan. 2, 12. *ubi cum paucis diebus eſſet moratus, appropinquat Paſcha, & adſcendit Jeroſolymam. Atq; hæc geſta ſunt ſpacio ſemeſtri ferè primi anni. Nam Baptiſmus forte contigit in feſto tubarum, initio anni communis, primo die menſis ſeptimi,* (Levit. 23, 24.) *aut in die Expiationis. Levit.* 25, 9. *Deinde duo menſes ferè tribuendi ſunt itineri in deſertum, tentationi, & reverſioni in Galilæam, ac deinceps acciderunt reliqua uti dictum eſt.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

ACTA SECUNDI ANNI HÆC commemorantur.

I.

JEroſolymis purgat Templum à profanationibus, Joh.2, 14. ſignum templi corporis ſui à Judæis ſolvendi & â ſe reſuſcitandi, ipſis pronunciat. v. 19. Multi credunt in ipſum, quibus ipſe ſe non credit, ſciens quid ſit in homine. v. 23. Inde Nicodemo nocturno diſcipulo regenerationis myſteriũ explicat. Joh. 3, 1.

II.

Proficiſcitur cum diſcipulis in Judæam, demoratur illic, & baptiſmum promovet, (Joh. 3, 22.) magno hominum confluxu, unde quæſtio oritur Judæorum cum diſcipulis Johannis, de purificatione & Johannes inſignitur, de Chriſti excellentiâ ſuoq; officio docet. Joh. 3, 25. &c. Quæ poſtrema eſt ipſius concio, quam annotatam habemus. Poſtea verò in carcerem ab Herode conjectus eſt, quod inceſtum & alia ejus flagitia reprehendiſſet, quam hiſtoriam per occaſionem narrat. Lucas cap. 3, 19. 20.

III.

Audiens ergo JEſus traditum Johannem, & Judæos comperiſſe ſucceſſum officii ſui, ſecedit per Samariam in Galilæam. Mattth. 4, 12. Marci 1, 14. Iohan. 4, 1. &c.

In itinere mulierem Samaritanam, & cives Sichar in ſui agnitionem perducit, quatuor menſibus ante Paſcha ſeu meſſem, menſe nono. Iohann. 4, 5. 35. Fuit ergo in Iudæa ad novem menſes.

IV.

Poſt biduum exivit oppido, in Galilæam, ubi in Cana ſanat filium Regij. Ioh. 4, 43. 46. quod erat alterum in Galilæâ miraculum, cum plura Ieroſolymæ edidiſſet. Ioh. 4, 45. 54.

V.

Docens autem per univerſam regionem in Synagogis eorum, venit tandem in patriam Nazareth, Lucæ 4, 14. ubi in Synago-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

Synagogâ, porrecto ipſi Eſaiæ libro, de ſe exponit prophetiam capitis ſexageſimi primi, (v.16.21.) Orta autem exprobratione virtutis, & inde apologia Domini, præcipitare eum conantur de monte cives ejus, ſed ipſe per medium eorum diſcedit. Lucæ 4, v. 29.

VI.

Relinquens Nazarethan venit Capernaum, Matth.4, 13. Lucæ 4,31. In via deambulans ſecus mare, Simonem Petrum & Andream, in Patria ipſorum relictos antea, filiosq; Zebedæi, vocat ad ſequendum ſe. Matth.4,18. Marci1, 16. Docet ibidem in Synagogis, & Spiritum immundum obmuteſcere juſſum expellit. Marci 1,21. Lucæ 4,31.33. In ædibus deinde Simonis ſocrum ejus febricitantem ſanat, Lucæ 4,38. Marci 1,30. & circa occaſum ſolis oblatos undiq; ægrotos. Luc. 4. v. 40.

VII.

Mane egreditur in deſertum locum, ubi perſequitur eum Simon & alii. Et volentibus eum detinere turbis reſpondet, Evangelizandum etiam aliis oppidis, idque facit. Lucæ.4,42. Marci 1,38. 39.

VIII.

Poſtea cum iterum circa mare Galilææ verſaretur, obrutus multitudine populi, ex navi Petrinâ docet, ipſumq; Petrum cum ſociis deſignat piſcatores hominum. Lucæ 5, 1. &c. prioremq; vocationem confirmat.

IX.

In aliquâ civitatum ſanat leproſum. Lucæ 5,12. Marci 1,40.

X.

Cum quærerent eum turbæ, confluentes undiq;, ſeceſſit in deſertis & oravit. Lucæ 5, 15. 16. Marci 1, 45.

XI.

Venit iterum & Capernaumi docuit, ibidemq; ſanavit paralyticum Lucæ 5, 17. Marci 2, 1.

Egreſſus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

XII.

Egreſſus ad Stagnum, vidit Levin ſeu Matthæum, eumq́ vocavit è telonio. Marci 2,13.14. Lucæ 5,27. ibi paulo poſt oboritur diſputatio de Jejunio. Lucæ 5,33. Marci 2,18.

ACTA TERTII ANNI.

I.

IN *Paſchali feſto adſcendit Dominus Jeroſolymam, ibiq́ ſanat decumbentem ad piſcinam Bethesda, in Sabbato. Joh. 5, 1.2. Quærentibus ideò ipſum occidere, opponit apologiam diviniſſimam. Joh. 5,17.*

II.

Sabbato δευτεροπρώτῳ *diſcipulos à calumniis Phariſæorum vindicat.* Lucæ 6,1. *Marci 2,23.*

III.

Alio Sabbato docet in Synagogâ, & ſanat manum aridam. Marci 3,1. Luc. 6,6. *Exeuntes ſtatim Phariſæi cum Herodianis, conſultant de perdendo ipſo.* Marci 3,6.

IV.

Diſcedit ergo cum diſcipulis ad mare, navemq́ conſcendit, ut multitudinem declinet populi. Marci 3,9. *ſequente autem populo plurimo, ingentia edit miracula.* Marci 3,10.11. Matt. 4,24.25.

Proinde conſcenſo monte, præmiſſis antea precibus, deligit duodecim, vocatq́ Apoſtolos, & eximiam habet concionem, primum ad Apoſtolos, inde etiam ad univerſum populum. Lucæ 6,12. &c. Marci 3,13. Matth. cap. 5.6.7. *Tunc quoq́ ſanat leproſum.* Matth. 8,1.

V.

Intrans deinde Capernaum centurionis ſervum ſanat, Matth. 8,5. Lucæ 7,1.2. &c. *Et denuo etiam ſocrum Petri,* Matth. 8,14. *Et veſperi ingentem ægrorum multitudinem, ibidem v. 16.*

Venit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

VI.

Venit ad oppidum Nain, ibiq; filium viduæ reſuſcitat. Lucæ 7, 11. 17. &c. Moti ergo fama ejus diſcipuli Johannis, renunciant præceptori, quæ de Chriſto audiunt, unde occaſio nata eſt eos poſtmodum ablegandi ad ipſum. Lucæ 7, 18. &c. Poſtea invitatur à Phariſæo, & abſolvit peccatricem. Lucæ 7, 36.

VII.

Oppidatim prædicat regnum DEI, & duodecim cum illo, miniſtrantibus ei quibusdam mulieribus. Lucæ 8, 1. Tunc parabolam proponit de variis generibus auditorum. Lucæ 8, 4. Atq; in domo quadam ſugillatus à Phariſæis, quaſi dæmonia ejiciat per principem eorum, acriter ſe tuetur. Marci 3, 22. &c. Veniunt mater & fratres ejus vocantes ipſum. Lucæ 8, 19. Marci 3, 31.

VIII.

Viſis turbis egreditur ad mare, ubi ſcribæ cuidam ſocietatem offerenti, conditionem ſuam explicat, Matth. 8, 18. &c. Variasq; proponit parabolas. Marci 4, 1. &c. Deinde, circa veſperam jubet tranſire Stagnum, Matth. 8, 23. Marci 4, 35. Ubi ingenti ſuborta tempeſtate periclitatur dormiens, ſed mox compeſcit ventum & mare. Matth. 8, 24. Marci 4, 36. Lucæ 8, 23. Hinc venit in regionem Gadarenorum, profligatisq; dæmoniis diſcedit. Matth. 8, 25. Marci 5, 1. Lucæ 8, 26.

IX.

Trajecto mari venit iterum in propriam civitatem, ubi à turbâ exſpectante excipitur, Matth. 9, 1. Marci 5, 21. Lucæ 8. 40. Ibi ſecus mare ſanat paralyticum, & cum Matthæo iterum vocato prandet. Matth. 9, 2. 9. quæſtionem etiam de jejunio, non à ſcribis, ut antea, ſed à diſcipulis Iohannis motam, denuò explicat. Matth. 9, 14. Filiam dehinc Iairi excitat, & mulierem ſanat αἱμοῤῥοοῦσαν *Matth. 9, 18. Marci 5, 22. Lucæ 8, 41.*

X.

Tranſiens inde cæcos duos & mutum dæmoniacum ſanat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

Matth. 9,27. Et circumit poſtea civitates, & docet in Synagogis eorum. Matth. 9, 35.

XI.

Egreſſus inde venit in patriam ſuam, Marci 6, 1. *ibiq́ docens contemtus eſt à civibus. Poſtmodum advocat, inſtruit & emittit duodecim Apoſtolos, qui euntes prædicant regnum Dei,* Matth. 9. 36. & 10, 1. Marci 6, 7. *Lucæ* 9, 1. &c.

XII.

Deînde transgreſſus docuit in civitatibus, & reſpondet legatis Baptiſtæ quærentibus, num ipſe ſit ὁ ἐρχόμενος. Matth. 11, 1. 2. &c. *Mox exprobrat civitatibus ingratitudinem, reverſisq́ diſcipulis confitetur patri, & omnes ad ſe invitat.* Matth. 11, 20. 15. 28.

XIII.

Appropinquante jam Paſchate tranſiit per ſata, & diſcipuli urgente fame ſpicas conterunt manibus & comedunt, ac defenduntur contra Phariſæos. Matth. 12, 1. &c. *Eodem Sabbato ſanat hominis manum aridam, ſicut & antea fecerat.* Matth. 12, 9.

XIV.

Inde digreſſus propter inſidias, plurimos ſanavit ægrotos, Matth. 12, 15. *præcipiens ne ipſum proderent, ibidemq́ ſanat dæmoniacum, & blaſphemantes Phariſæos iterum refutat graviſſime.* Matth. 12, 22. &c. *Requiſitus à parente & fratribus, oſtendit, quinam ſint veri fratres & mater. ibidem v. 46.*

Eadem die egrediens domo illa ad mare, proponit multas & eximias parabolas populo. Matth. 13, 1. &c. *quas domum reverſus interpretatur diſcipulis ibidem v.* 36.

XV.

Poſtea Nazaretam veniens contemtus iterum eſt à ſympatriotis, Matth. 13, 54. *Tunc interfecerat paulò ante Iohannem Baptiſtam Herodes, (quem annum integrum & tres menſes carcere*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

carcere clauſum habuerat:) eodem ſcilicet tempore, quum Chriſtus diſcipulos ſuos prædicatum emiſiſſet. Proinde cū audiret miacula à Chriſto & diſcipulis edita, metuit ut Johannes forſan eſurrexit à mortuis. Matth.14,1. Marci 6,14. *Luc.*9,7.&c.

*Dominus ergo cognita à diſcipulis Johannis magiſtri ſui morte, non proficiſcitur ad Paſcha, ſed diſcedit cum Apoſtolis in locum deſertum Bethſaidæ, ibiq; edit miraculum cibationis quinq; millium per quinq; panes hordeaceos. Johan.*6,1 *Lucæ* 9,10 Matth. 14,13. *Marci* 6,32. *Sequenti nocte quartâ vigiliâ poſt preces viſitat diſcipulos periclitantes in mari. Matth.*14,23. &c. *Marci* 6,45. *Joh.* 6.17.

ACTA QVARTI ANNI, POST Pâſcha tertium, annotatum â Johanne cap. 6, 4. indicatum à Matthæo cap. 12, 1.

I.

*CUm populus Jeſum non inveniret in deſerto, tandem & ipſi trajiciunt ſtagnum, quærentes ipſum, Joh.*6,22. *quem reperientes in terrâ Genezareth graviſſimam audiunt orationem, de quærendo cibo ſpirituali. Joh.*6,25. *Matth.*14,34. *Poſtea conferuntur omnes ægroti ex toto confinio, eosq; ſanat Dominus benigniſſime, etiam attactu ſuæ ſimbriæ. Matth.*14,35. *Marci* 6,54.

*Tunc ab Jeroſolymâ conveniunt ipſum ſcribæ & Phariſæi, interrogantes, cur traditiones majorum violare ſinat diſcipulos, Matth.*15,1. Marci 7,1.&c. *quos egregiè confutat. Inde advocatis turbis, quænam hominem polluant aut communem faciant, explicat. Matth.*15,10. *Marci* 7,17.

II.

*Egreſſus in fines Tyri & Sidonis, ſanat filiam mulieris Cananeæ. Matth.*15,21. *Marci* 7,24.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

III.

Inde reverſus ad mare Galilææ, per medios fines decapoleos, ſanat ibidem inter alios ſurdum μογιλάλον. Matth. 15, 29. Marci 7, 31.

Ibidem cibat quatuor virorum millia panibus ſeptem, & paucis piſciculis. Matth. 15, 32. Marci 8, 1. &c.

IV.

Statim inſcendens naviculam, profectus eſt in fines Magdala & Dalmanutha, Matth. 15, 39. Marci 8, 10. Et Phariſæis ſignum quærentibus, non aliud eſſe dandum quam Jonæ Prophetæ reſpondet. Matth. 16, 1. Marci 8, 10.

V.

Reverſus per mare Galilæum in alteram ripam, diſcipulos panum oblitos de fermento præmonet Phariſæorum cavendo, & ignorantiam eorum redarguit. Matth. 16, 6. &c. Marci 8, 14. Ibi extra Bethſaidam ſanat cæcum. Marci 8, 22.

VI.

Indidem diſcedens in partes Cæſareæ Philippi, Petrum confeßionem ſuam nomine reliquorum edentem, de ſuo officio prolixè edocet, prohibetq́ ne ipſum diſcipuli Chriſtum eſſe dicant. Matth. 16, 13. &c. Marci 8, 27. Luc. 9, 18 Addit prædictiones paßionum ſuarum, & Petrum dehortantem valde increpat. Matth. 16, 21. Marci 8, 31. Luc. 9, 22. Docet Apoſtolos & turbam, quod cum abnegatione ſui & crucis ſuſceptione, ſequi ipſum debeant. Matth. 16, 24. Marci 8, 34. Luc. 9, 23.

VII.

Octavo die, (ſex diebus elapſis) Petro, Johanne & Jacobo aſſumptis, in monte gloriam ſuam cæleſtem manifeſtat. Matth. 17, 1. Marci 9, 2. Luc. 9, 28. Et Johannem fuiſſe Eliam venturum edocet. Matt. 17, 11. Marci 9. 10.

VIII.

Sequenti die, cum ad reliquos rediiſſet diſcipulos, iuvenit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

circa eos turbam multam cum Phariſæis, ſanavitq́ lunaticum, quem diſcipuli liberare à Dæmonio nequiverant. Luc. 9, 37. Matth.17, 14. Marci 9, 14.

IX.

Inde exeuntes proficiſcuntur per Galilæam, Marci 9, 10. *ubi docet Dominus de ſua paſſione,* Matth.17, 22. *Marci* 9, 31. *Lucæ* 9, 43. *& in Capernaum ſolvit didrachma.* Matth.17, 24. *In viâ diſceptant, quis maximus ſit eorum, Luc.* 9, 46. *quam diſceptationem requirente Domino, tandem ad ipſum deferunt Capernaum,* Matth.18, 1. *& copioſam reſponſionem accipiunt. Tunc etiam Johanni exemplum proferenti, de quodam dæmoniorum expulſore, extra diſcipulorum gregem, ratio redditur, quod prohibendus non fuerit.* Marci 9, 38. 39. *Luc* 9, 49. *Docetur prolixè de ſcandalo, & de ſale ac pace habendâ.* Matth.18, 6. Marci 9, 42. *adjectis & aliis præclaris ibidem.*

X.

In ſcenopegiis, fratres conſulentes ſibi ut ad feſtum eat, jubet adſcendere, ſuum verò tempus nondum adeſſe ſignificat. Joh. 7, 2. *ſecutus eſt tamen ipſe, ſed tanquam in occulto, Johan.* 7, 10. *cum complerentur dies aſſumptionis ejus. Lucæ* 9. 51.

In via denegatur ei hoſpitium à Samaritanis. Lucæ 9. 52. *&c. Tribus ſeſe iter facienti adjungere cupientibus reſpondetur. Lucæ* 9, 57.

Emittit alios 70. *diſcipulos Luc.*10, 1. Medio *feſto adſcendit in templum & docet. Joh.*7, 14.

*Ibi cupiebant eum prehendere & occidere, ſed fruſtra, Joh.*7, 30.

*Dominus ergo confidenter docet in Templo, de variis doctrinæ capitibus, & multi credunt in eum Joh.*7, 31.

*Nicodemus eum defendit in ſynedrio. Joh.*7, 50.

XI.

Egreſſus ex urbe feſto finito, redit manè in templum, ac do-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

cet univerſum populum. Ioh. 8, 1. 2. Ubi tentatur à ſcribis in judicio adulteræ. v. 3. ſed cum ignominia ipſorum. Inde aſſerit ſe lucem mundi, Ioh. 8, 12. & de ſe ſuoq; officio diſceptat cum Iudæis, v 13. donec lapides tollerent, & ipſe occultus, per medios ipſos tranſiens, excederet è templo. Ioh. 8, 59. Poſtea ſanat cæcum, Ioh. 9, 1. de quo miraculo cum parentibus & ipſo ſanato contendunt graviter Iudæi. Ioh. 9, 8. &c. Sanatus tandem audiens, IEſum eſſe filium DEi, adorat ipſum. Ioh. 9, 37. 38. Hinc alia naſcitur diſſertatio Chriſto cum Iudæis, utrum ipſi cæci ſint, & Chriſtus ad illuminandos cæcos in mundum venerit. Ioh. 9, 39. &c. Igitur aſſerit Dominus, ſe eſſe bonum Paſtorem, alios fures & latrones Ioh. 10, 1. &c. de quo ſermone varia feruntur judicia. Ioh. 10, 20. 21. Tum reverſis ad Dominum diſcipulis ſeptuaginta, Lucæ 10, 17. fit exomologeſis ejus, Lucæ 10, 21. Prædicatur Apoſtolorum & reliquorum beatitudo, ibidem v. 23. & exoritur quæſtio legiſperiti, de ratione conſequendi vitam æternam, Lucæ 10, 25.

XII.

Proficiſcitur IEſus Bethaniam, & divertit cum diſcipulis ad Martham & Mariam. Lucæ 10, 38. Orans alicubi, docet denuò formulam orandi. Lucæ 11, 1. Ejicit dæmonium mutum, & blaſphemis opponit apologiam. Lucæ 11, 14. 29.

Invitatus à Phariſæo, redarguit eorum hypocriſin. Lucæ 11, 37. & legiſperitos taxat. Ibidem v. 47.

Poſtea ingenti hominum concurſu docet cavere fermentum Phariſæorum Lucæ 12, 1. dehortatur à metu hominum, v. 4. & ab avaritiâ. Lucæ 12, 13 &c. Adhortatur ad ſedulitatem & vigilantiam. v. 41. Decet de natura & progreſſu regni ſui. v. 49. & adhortatur ad ſeriam reſipiſcentiam, Lucæ 13, 1. &c.

In Synagoga ſanat mulierem alligatam à diabolo. Lucæ 13, 10.

XIII.

Tranſit per civitates docens, & iter facit iterum verſus Ieroſolymam, Lucæ 13, 22. Nimirum ad Encænia.

Diſſerit de introitu per anguſtam portam. Lucæ 13,23.

De Herode monitus non vult fugere. Ibidem v. 31.

Invitatus in ædes principis Phariſæorum ſanat hydropicum. Lucæ 14, 1. Reprehendit ſuperbiam illorum, & contemptum cænæ magnæ. Lucæ 14, 15. Facta ſunt Encænia in Ieruſalem. Ioh. 10. 22. & ambulans in porticu Salomonis denuò concertat cum Iudæis, Ioh. 10, 23 indignantibus, quod faceret ſeipſum DEum. Ioh. 10, 33. eumq́ capere volentibus. v. 39.

XIV.

Abijt ſecus Iordanem, ubi Iohannes baptizabat. Ioh. 10, 40. Turba comitatur eum, cui prolixè, concionatur de ſerio regni DEi ſtudio. Lucæ 14, 25. Defendit gratiam Dei erga peccatores reſipiſcentes, parabolâ triplici. Lucæ 15.

Parabolicè diſſerit & apertè de vero uſu & abuſu bonorum hujus ſeculi. Lucæ 16. de ſcandalis, Lucæ 17, 1. de imperfectione renatorum. Lucæ 17, 5.

XV.

Proficiſcens Ieroſolymam per medium Samariæ & Galilææ, juxta vicum ſanat decem leproſos, Lucæ 17, 11.

Docet regnum DEi non venire cum externâ & ſuperſtitioſâ obſervatione. Ibidem v. 20. & qualis ſit adventus ſuus, & quando, v. 22. &c.

Ad quem aſſiduis precibus opus eſſe, oſtendit parabolâ. Lucæ 18, 1.

Redarguit ſuperbiam de juſtitia propriâ exemplo Phariſæi & publicani. Lucæ 18, 9.

Venit in confinia Iudææ, Matth. 19, 1. per Petræam, Marci 10, 1. Ibi Phariſæos de divortio quærentes, prolixè de conjugio inſtituit. Matth. 19, 3. Marci 10, 2. 3.

Ibidem pueros oblatos excipit. Matth. 19, 13. Marci 10, 13. Lucæ 18, 15.

Divitem quendam, volentem faciendo conſequi vitam æternam,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

æternam, triſtem dimittit, Matth. 19, 16. Marci 10, 17. Lucæ 18, 18.

Multum præmii illis præparatum, qui omnia propter Chriſtum deſerunt, oſtendit Matth. 19, 27. Marci 10, 28. Lucæ 18. 28.

Fieri autem ſæpè ut ultimi fiant primi, primi ultimi Matth. 20, 1. &c.

XVI.

Mors Lazari nunciatur. Ioh. 11, 1. &c.

Adſcendens Ieroſolymam docet Apoſtolos iterum de paſsione, morte, & reſurrectione ſua. Matth. 20, 17. Marci 10, 32. Lucæ 18, 31. Ioh. 11, 7.

Mater filiorum Zebedæi petit filiis ſuis ſeſsionem ad dexteram & ſiniſtram Chriſti, neſciens quid petat. Matth. 20, 20. Marci 10, 35.

Propè Ięricho ſanat cæcum Dominus. Lucæ 18, 35. vocat Zachæum, & divertit apud ipſum. Lucæ 19, 2.

Extra Ierichuntem duos ſanat cæcos, & in eis Bartimæum. Matth. 20, 29. Marci 10, 46.

Deſcribit conditionem regni ſui, illuſtri parabola viri generoſi peregrè proficiſcentis Lucæ 19, 11.

Dominus venit Bethaniam, ibiq́ Lazarum ante quatriduum ſepultum, excitat à mortuis Ioh. 11, 18. &c. Phariſæi vero de ipſo interficiendo conſultant. Ioh. 11, 46. &c.

XVII.

Recipit ſe in oppidum Ephraim, dum populus ante Paſcha ſe congregat Ieroſolymis. Ioh. 11, 54. interim omnibus modis ei inſidias ſtruunt Sacerdotes cum Phariſæis. Ibidem v. 57.

XVIII.

Sex diebus ante Paſcha redit Bethaniam, ibiq́ ungitur à Maria, ſorore Lazari. Ioh. 12, 1. Marc. 14. 3. Conſultant principes Sacerdotum de interficiendo etiam Lazaro. Ioh. 12, 9. 10.

Appropinquans Ieroſolymæ, aſinæ & deinde pullo inſidet. Matth. 21, 1. Marci 11, 1. Lucæ 19 30. Iohan. 12, 12.

Flet

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

Flet ſuper urbem & prædicit excidium ejus. Lucæ. 19, 41. Ingreditur urbem pompa ſingulari, & ejicit vendentes & ementes è templo. Matth. 21, 10. Marci 11, 11. & 12, 45.

Concionatur Græcis nonnullis ipſum videre cupientibus, itemq́; diſcipulis ſuis iterum de morte & exaltatione ſua, vox quoq; è cælo reſpondet ei, & tandem abiens abſcondit ſe. Joh. 12, 20. 36. Interim Phariſæorum, Scribarum, Sacerdotum, & populi diverſisſimus eſt in ipſum affectus. Joh. 12, 37. Lucæ 19, 47.

XIX.

Abijt in Bethaniam cum duodecim Apoſtolis, Matth. 21, 17. Marci 11, 11. poſtridie redit in urbem. Matth. 21, 18. Marci 11, 12. In via ficui maledicit, Matth. 21, 19. Marci 11, 13. Ingreſſus iterum ejicit vendentes & ementes è templo. Marci 11, 15. Sacerdotes & Scribæ, quærunt eum prehendere, ſed timent populum. Marci 11, 18. Veſpera facta urbe egreditur. Marci 11, 19.

XX.

Mane in reditu ad urbem, occaſione ficus arefactæ, concionatur de fidei efficacia. Matth. 21, 22. Marci 11, 20. Reverſus igitur Jeroſolymam tertiò (Marci 11, 12. 20.) publicè interrogatur â Sacerdotibus & primoribus, quâ poteſtate doceat & templum repurget, quos confundit per ἀντερώτημα. Matth. 21, 23. Marci 11, 27. Lucæ 20, 1.

Hinc docet parabolicè, redarguens hypocriſin, Matth. 21, 13. 28. & ingratitudinem & contumaciam populi Iſraelitici, præſertim primorum ejus, variam. Matth. 21, 33. Marci 12, 1. Lucæ 20, 9. Ideò rurſus eum quærunt prehendere, ſed nihil audent propter turbam. Matth. 21, 45. Marci 12, 12. Lucæ. 20, 19.

Iterum reprehendit graviter contemptum gratiæ DEi, parabola de nuptijs regijs. Matth. 22, 1. Et novo oppugnatur conſilio Phariſæorum & Herodianorum. Matth. 22, 15. Marci 12, 13. Lucæ 20, 20. Deinde quæſtione Sadducæorum de reſurrectione. Matthæi 22, 23. Marci 12, 18. Lucæ 20, 27. Item quæſtione

legiſperiti de magno mandato Legis. Matt. 22, 34. Marci 12, 28. Quibus expeditis reponit quæſtionem de Chriſto filio pariter & domino Davidis. Matth. 22, 41. Marci 12, 35. Lucæ 20, 41.

Obmuteſcentibus illis, præmonet populum, caveant ſibi à vitiis Scribarum & Phariſæorum, iisq; væ dicit aliquoties, totiq; urbi. Matthæi capite 23. toto. Marci 12, 37. &c. Lucæ 20, 45.

Deinde Viduæ donum in Gazophylacium miſſum commendat, Lucæ 21, 1. Marci 12. 41. ne quis ſcilicet contributionem ſacram ob miniſtrantium vitia putaret omittendam.

Tum quoq; diſcipulis ſplendorem ædificii Templi monſtrantibus, prædicit ejusdem, totiusq́; inſuper urbis excidium. Matth. 24, 1. Marci 13, 1. Lucæ 21, 5. &c. Diebus ita ſingulis docebat in Templo, noctu exiens ηὐλίζετο *ad montem Oliveti. Lucæ 21, 37.*

XXI.

Biduo ante Paſcha repetit prædictionem paſſionum ſuarum, & præparantur hoſtes ad apprehenſionem, ſed adhuc metuunt. Matth. 26, 3. Marci 14, 1. Lucæ 22, 1.

In Bethaniâ vero hoſpitante IEſu, effundit mulier alabaſtrum unguenti ſuper caput ejus. Matth. 26, 6. Marci 14, 3. Atq; hinc intrat Satanas in cor Iudæ amplius, Lucæ 22, 3 ut paciſcatur cum principibus de tradendo IEſu, absq; turba. Matth. 26, 14. Marci 14, 11. Lucæ 22, 4.

Primo die azymorum paratur Paſcha. Matth. 26, 17. Marci 14, 12. Lucæ 22, 7.

XXII.

Comedit Paſcha cum diſcipulis in urbe Ieroſolyma, lavat inde pedes eorum, & inſtituit corporis & ſanguinis ſui Teſtamentum. Matth. 26, 20. Marci 14, 17. Lucæ 22, 14. Ioh. 13, 2.

Poſtea præparat diſcipulorum animos ad paſſionem, prædicens proditorem ſuum, diſcipulos de præeminentia contendentes inſtruit, & periculum ipſis, præſertim Petro, lapſum ſuum prænuntiat. Lucæ 22, 23. 31. Ioh. 13, 31. Matth. 26, 21. Marci. 14, 18.

Prolixam

Prolixam deinde habet concionem ad diſcipulos, de fructu paſſionis & mortis ſuæ, Ioh. 14, 1. &c. & varias ipſorum dubitationes ſolvit. Ioh. 14, 5. 8. 22. &c.

Surgens deinde cum diſcipulis, ut abeat, copioſè eos inſtruit, Ioh 13, 31. Adhortans eos, (1.) ad conſtantem fiduciam in ſe. Ioh. 15, 1. (2.) ad dilectionem mutuam & mundi contemptum. Ioh. 15. 17. 18 (3.) Promittens Spiritum Sanctum, doctorem & teſtem, & advocatum in omnibus ipſis adfuturum. Ioh. 15, 26. (4.) Prædicens luctus & gaudii ipſorum viciſsitudinem. Ioh. 16, 16. quam cum non caperent, explicat v. 17. &c. (5.) Futuram eorum perfectionem, in precibus præſertim. Ioh. 16, 23. Et cum illi ſe jam quoq; multo eruditiores putarent, ſecuturam mox defectionem, & cauſam hujus inſtructionis commemorat. v. 29. &c.

Deniq; prece ad patrem ſuum diviniſsima totam orationem concludit. Ioh. 17. capite toto.

XXIII.

Egreditur urbe ad montem Olivarum, & quid ſibi eventurum & Apoſtolis breviter repetit. Matth. 26, 30. 31. Marci 14, 26. 27. Lucæ 22, 39. 40. Ioh. 18, 1. Hortatur Apoſtolos ad preces, & aſſumptis eorum tribus, in pavore & triſtitia animæ ardentiſsimè precatur. Matth 26, 36. Marci 14, 32. Lucæ 22, 40. Elapſa hora venit Iudas cum comprehenſoribus, quibus obviam procedens dominus verbo eos proſternit. Ioh. 18, 2. 3. Matth. 26, 46. Marci 14, 43. & correpta Petri temeritate, & Iudæ perfidiâ, ſanataq; Malchi aure, hoſtibus ſe permittit. Matth. 26, 48. Marci 14, 44. Luc. 22, 47. Ioh. 18, 7.

XXIV.

Comprehenſus vinctusq; IEſus reducitur in urbem, & ſiſtitur Hannæ, mox Cajaphæ. Ioh. 18, 12. Lucæ 22, 54. Marci 14, 53. Matth. 26, 57.

Dum examinatur, & teſtes audiuntur in ædibus Cajaphæ, Petrus eum negare incipit. Matth. 26, 58. Marci 14, 54 Luc. 22, 55, 56.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

55. 56. Joh. 18,15. *Deinde magis & tertio negat circa gallicinium,* Lucæ 22, 59, 60. Matth. 26, 71. Joh. 18, 27. *Poſtea illuditur & conſpuitur Dominus.* Lucæ 22, 63. Matth. 26. 67. Marci 14, 65.

Mane iterum coram toto ſynedrio examinatus JEſus, aſſerit ſe eſſe Chriſtum DEi filium, ideoq; damnatur. Lucæ 22, 66. Marci 15, 1. Matth. 27, 1. *Et captivus vinctusq; traditur Pontio Pilato.* Joh. 18, 28. Lucæ 23. 1. *Tunc Judas ſcelus ſuum confeſſus deſperat.* Matth. 27, 3. *Apud Pilatum accuſatus auditusq; innocens pronunciatur.* Lucæ 23, 2. Joh. 18, 29. Matth. 27, 11. Marci 15, 2.

Inſtantibus Judæis mittitur ad Herodem, illuſusq; ab eo, pro non facinoroſo remittitur. Lucæ 23, 6.

Pilatus ergo excuſans ipſum, caſtigatione hoſtibus vult ſatisfacere, Lucæ. 23, 13.

Inde populus pro more petit captivum dimitti aliquem, Pilatus componit JEſum cum Barabba, Turbæ ſuaſu Pontificũ Barabbam eligunt. Joh. 18, 39. Lucæ 23, 17. Marci 15, 6. Matth. 27, 15.

Iterum Judex flagellatum JEſum vult dimittere, ſed fruſtra. Joh. 19, 1. &c.

Tunc milites omni genere contumeliarum ipſum afficiunt. Matth. 27, 27. Marci 15, 16. Joh. 19, 2. *Abluit igitur manus Pilatus, & ſic tradit Dominum* Matth. 27, 24. Marci 15, 15. Lucæ 23, 23. Joh. 19, 16.

XXV.

Educitur extra urbem, & cum prius bajulaſſet crucem ſuam, poſtea eam imponunt Simoni Cyrenæo. Joh. 19, 16. 17. Lucæ 23, 26. Matth. 27, 32 Marci 15, 20. 21. *Defletus deflere jubet ſeipſas filias Jeruſalem.* Lucæ 23, 27.

Potatus aceto felleo crucifigitur cum latronibus, & ab omnibus irridetur. Matth. 27, 34. Marci 15, 23. Lucæ 23, 33. Joh. 19, 18.

Circa horam nonam cum magno clamore tradit Spirtum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

obſcurato ſole, ruptoq; velo Templi. Lucæ 23, 44. Matth. 27. 46. Marci 15, 34. Johann. 19, 30.

Inde fiunt miracula maxima, & circa veſperam, nondum occaſo ſole, ſepelitur honorifice. Matth. 27,51. Marci 15,39. Lucæ 23, 47. Johan. 19,31. Sacerdotes & primores adhibitis cuſtodibus, curant obſignari ſepulcrum. Matt. 27, 62.

ACTA POST PASCHA QUARTUM, poſtquam reſurrexiſſet Dominus à mortuis.

I.

CUm mulieres ſummo mane exiſſent ad ſepulcrum fit terræ motus, & reſurgit interim Dominus, & Angelus revolvit lapidem de monumento, fugatis cuſtodibus. Matthæi 28, 2. 3. Mulieres ergo adferentes unguenta præparata, ſollicitæ ſunt de magnitudine ſaxi, quo obſtructum erat monumentum, ſed fruſtra; mox animadvertentes lapidem eſſe avolutum. Marci 16, 1. &c.

Ingrediuntur ergo & vident linteamina poſita, corpus autem non inveniunt. Ioh. 20, 1. Lucæ 24, 1. 2. 3.

Currit ergo Maria Magdalena, antequam Angeli apparerent, & nunciat Petro ac Iohanni, ablatum eſſe Dominum, & neſciri, ubi poſuerint eum. Ioh. 20. 2. 3. Interea mulieres reliquæ dubitantes de negotio, vident Angelos duos veſtitu fulguranti à quibus docentur Chriſtum vivere, & admonentur verborum ejus. Lucæ 24,4. Abeunt ergo & nunciant Apoſtolis & reliquis omnibus, verum habentur delirantes. Luc. 24, 11.

Surgunt autem Petrus & Johannes, curruntq; ad ſepulcrum, & inveniunt illud vacuum, admirantes quid factum fuerat. Lucæ 24, 12. Ioh. 20, 3. 4. &c.

II.

Reverſo domum Petro, Maria Magdalena remanet in horto ſepulcri, ſtansq; ibidem plorat, & proſpiciens in ſepulcrum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

videt duos Angelos,& mox ipſum Dominum JEſum ſibi adſtantem. Joh. 20, 11. Renuncians mæſtis Apoſtolis, quid viderit, fidem non invenit. Marci 16, 10. Johan. 20, 18.

III.

Redit igitur cum mulieribus ſociis ad ſepulcrum, (ſperantibus utiq; ſe ibidem viſuras Dominum) & invitatæ ab Angelo, ut videant monumentum, Matth. 28, 5. Ingrediuntur, & vident juvenem à dextris ſedentem, confirmantem reſurrectionem Chriſti, & quod præcedat Apoſtolos in Galilæam, ſicut antea prædixerit. Marci 16,5. Fugiunt ergo à ſepulcro timore tanto, ut nihil auſint cuiquam dicere in via. Marci 16, 8. Volentibus autem nunciare hæc Apoſtolis, occurrit ipſis Dominus, & ab eis tangitur adoraturq;. Matth. 28, 9. 10.

Euntibus porrò nunciatum, cuſtodes veniunt in urbem, & narrantes vera, pecuniis conducuntur ad divulgandum mendacium, de ablato furtim corpore Matth. 28, 11.

IV.

Poſtmodum eâdem die apparet Dominus etiam Petro, fortè iterum reverſo ad ſepulcrum. Lucæ 24, 34. 1. Cor. 15, 5.

V.

Cleophæ marito materteræ & comiti ejus, manifeſtatur in viâ, & in ipſo caſtello Emmaus agnoſcitur. Luc. 24, 13. Mar. 16, 12.

VI.

Veſpere clauſis januis ingreditur, & ſubito ſtat in medio Apoſtolorum, & omnium reliquorum, ſeq; verè reſuſcitatum demonſtrat argumentis variis. Lucæ 24, 36. Johan. 20, 19. Marci 16, 14. edens & bibens cum illis, & loquens de regno DEi ibidē.

VII.

Octavo poſt die denuo apparet clauſis januis, & Thomam incredulum convertit. Johan. 20. 26.

VIII.

Tertio manifeſtatur pluribus ſimul diſcipulis, ſeptem videlicet

licet numero pariter, ad mare Tiberiados. Johan. 21, 1. 14. Ubi ſingulare cum Petro colloquium inſtituit. Joh. 21, 15. &c.

IX.

Quarta manifeſtatio generalis, Octava inter eas, quæ annotatæ ſunt, facta eſt in monte Galilææ, quam Dominus ante paſſionem promiſerat, per Angelos repetierat, & reſuſcitatus ſingulariter conſtituerat. Eaq; fuit omnium glorioſiſſima, præſentibus (ut ait Paulus 1. Cor. 15, 6.) plusquam quingentis fratribus una vice. Matth. 28, 16. &c.

X.

Poſtea viſus eſt Jacobo, de qua apparitione nihil ſingulatim narrant Evangeliſtæ, ſed meminit Paulus 1. Cor. 15, 7.

XI.

Deniq; congregatis diſcipulis omnibus Jeroſolymæ, multaq; eis locutus de officio ſuo, & Spiritus Sancti adventu, exivit cum eis ad montem olivarum, usq; ad Bethaniam, & poſtquam benedixiſſet ipſis, ſublatus eſt in cælum, videntibus illis, Nube eum ſubducente ab oculis eorum. Lucæ 24, 50. Marci 16, 17. &c. Act. 1, 1. &c.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

licet numero pariter, ad mare Tiberiados. Johan. 21, 1, 14. Ubi ſingulare cum Petro colloquium inſtituit. Joh. 21, 15. &c.

IX.

Quarta manifeſtatio generalis, & clara inter eas, quæ narratæ ſunt, facta eſt in monte Galilææ, quem Dominus ante paſſionem promiſerat, per Angelos repetierat, & ad ſe venire ſingulariter conſtituerat. Eaque fuit omnium glorioſiſſima, præſentibus (ut ait Paulus 1. Cor. 15, 6.) pluſquam quingentis fratribus una vice. Matth. 28, 16. &c.

X.

Poſtea viſus eſt Jacobo, de qua apparitione nihil ſingulare narrant Evangeliſtæ, ſed meminit Paulus 1. Cor. 15, 7.

XI.

Denique congregatis diſcipulis omnibus Jeroſolymis, multaque eis docuit de officio ſuo, & Spiritus Sancti adventu, exivit cum eis ad montem Olivarum, usque ad Bethaniam, & poſtquam benedixiſſet ipſis, ſublatus eſt in cœlum, videntibus illis, Nube eum ſubducente ab oculis eorum. Lucæ 24, 50. Marci 16, 17. &c. Act. 1, 1. &c.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-198 4° 1216